Misc. 650 n 56

LEX LIBERTATIS
SIVE
DE
SPIRITUS SANCTI
ADVENTU
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
ORATIO
Habita in Sacello Pontificio
IPSO PENTECOSTES DIE
AD SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM
CLEMENTEM XI.
PONT. MAX.

A MARCHIONE AUGUSTINO ISIMBARDI
Seminarii Romani Convictore
ANNO MDCCXVIII.

ROMÆ, Ex Officina Cajetani Zenobii Typographi, & Scalptoris SS. DOMINI NOSTRI.

SVPERIORVM FACVLTATE.

Digitized by Google

252

Digitized by Google

CLEMENTI XI.

PONT. OPT. MAX.

AUGUSTINUS ISIMBARDI

FELICITATEM.

Nomen libertatis , BEATISSIME PATER, *uti Populo perjucundum* , *ſic eſt iis* , *qui regnant haud rarò ſuſpicioſum*: *Nam* & *imperium egrè pati*, & *cupidiſſimè retinere perinde eſt hominum ſuperbiæ*. *Quamobrem quò magis ea oratio blandi-*

tur

Digitized by Google

tur populo, quæ libertatem ei aſſerit, & gratulatur, eò minùs conſiderata, ac propè periculoſa videri poſſit, ſi eadem ad Principem habeatur. Sed mihi, ne ad hunc ſcopulum offenderem, cavendum minime fuit, cum apud te de tui Populi libertate vellem diſſerere: Quippe cum pro tuo ingenio exerces imperium mite, & populare, tum probè intelligis, illud ſine ea Populi libertate, de qua ſtrictim diſputavi, haudquaquam poſſe conſiſtere: Proinde nimium quantum abhorret ab humanitate, & ſapientia tua vox illa importuniſſima: Pater meus aggravavit jugum veſtrum, ego autem addam
3. Reg. 12. *jugo veſtro: Quin illud rectiſſimè pro ea perſona, quam geris, & veriſſimè quaſi tuum*
Matt. 11. *uſurpas: Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve. Quæ cum hujus Orationis ſumma ſit, quanquam ad Majeſtatem tuam aſpirare tam tenui munuſculo magnopere vereor; Illud tamen me recreat, quòd in ea tanquam in ſpeculo imaginem imperii tui, hoc eſt Populi felicitatem quæ te tantopere delectat, contemplandam Tibi offero, dicoque.*

Digitized by Google

ORATIO.

DUriſſimæ captivitatis , BEATISSIME PATER, quam Dominus aſcendens in altum duxit captivam, finem ſacratiſſimus hic dies attulit, idemque initium ejus libertatis, qua li- *Ephеſ. 4.*
bertate liberavit nos Chriſtus. Neque enim ho- *Galat. 4.*
die accepimus ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed Spiritum adoptionis filiorum , & ubi *Rom. 8.*
Spiritus Domini, ibi libertas. Quamobrem quo *2.Cor.3.*
ſenſu pietatis, quo ardore animi, ac lætitia in hoc die honorando geſtire debemus ? Etenim ſi veterem illam Pentecoſten, hoc eſt umbram hujus diei Synagoga celeberrimam habuit , quo tandem modo ipſius diei lucem Eccleſia celebrabit ? Nimirum quanquam nominis ſimilitudinem in hac celebratione retinemus, rerum tamen dignitate nimium quantum antecellimus: præſertim cum eò ſpectaret vetus illa inſtitutio, ut legis in monte Sinai acceptæ, hoc eſt ſuæ ſervitutis Populus ille admoneretur, contra verò hic dies legis in Sion promulgatæ, hoc eſt noſtræ nos admonet libertatis.

Et ſanè ea fuit legis utriuſque promulga-

tio,

tio, ea ſpecies utriuſque diei, ut mirandum planè ſit, tantam in oſtentis ſimilitudinem ad res tam diſſimiles pertinere. Nam quid tam geminum, aut tam diſpar? Inſpectantibus olim Fi-
Exod. 19. liis Israel, quanta repente fulgurum coruſcatio, quantus in monte Sinai fragor, cum Dominus deſcendit ſuper eum in igne? Quid verò hodierno die in Sion? Quantus & hìc de improviſo
Act. 2. ſonus tanquam advenientis ſpiritus vehementis, quanta de Cœlo fulguratio, cum factæ ſunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis. Cæterum cum eadem ferè utrobique ſit oſtentorum facies, eadem pompa prodigiorum, & uniuſmodi ad legem ferendam apparatus; Illud tamen magnopere intereſt, quod ea rerum ſpecies ex Sinai objecta Populo timorem injecit: at verò in monte Sion, cum eædem timendi cauſſæ viderentur
1. Jo. 4. ingruere, nullus omnino timor, ſed charitas, quæ foras mittit timorem, diffuſa eſt in cordibus Di-
Rom. 5. ſcipulorum per Spiritum Sanctum, qui datus eſt illis. Quæ cum æternus Legislator pro ſua ſapientia provideret, quanto aliter multitudini Filiorum Israel, ac multitudini Diſcipulorum edixit, cum utranque inſtitueret, & quaſi præpararet ad legem paucis poſt diebus accipiendam?
Exod. ib. Cavete, Israelitis edicit, ne aſcendatis in montem:

tem:

tem : contra Diſcipulos jubet manere in monte
Sion donec induantur virtute ex alto . Scilicet *Luc. 14.*
eò pertinent omnia,ut intelligamus duo eſſe Te-
ſtamenta , unum quidem in monte Sinai in ſer- *Gal. 4.*
vitutem generans; quæ eſt Agar, quod ſcriptum
eſt in tabulis lapideis : Alterum verò in Sion ge- *Exod. 24.*
nerans in libertatem,quæ eſtSara,quod ſcriptum *2. Cor. 3.*
eſt in tabulis cordis carnalibus : & in veteri qui-
dem lex extrinſecùs eſt poſita qua injuſti terre-
rentur , in novo autem intrinſecùs data eſt , qua *Aug. de*
juſtificarentur : Quod hodie tandem peractum *Sp. & Lit. c.17.*
eſt,cum Chriſtus ſedens ad dexteram Patris pro-
miſſum Spiritum Sanctum in Filios adoptionis
effudit . Itaque ſi hoc Spiritu ducimur , jam non *Gal. 5.*
ſumus ſervi, ſed liberi, jam non ſumus ſub lege:
utique lege , quæ timorem incutit , non tribuit *Augu. de Nat. &*
charitatem , utique lege bonum quidem juben- *Gr. c. 57.*
te, non tamen dante, ſed ſumus ſub gratia, quæ *idem lib. de Cont.*
id quod lex jubet, ſi ei non deſumus, faciens nos *c. 3.*
amare, poteſt liberis imperare. Quppe Lex nihil *Hebr. 7.*
ad perfectum adduxit uſque ad hanc diem , qua
charitas, quæ eſt vinculum perfectionis, & com-
municatio Sancti Spiritus abundavit . Miſeram *Col. 3. 2.Cor.13.*
porrò Synagogam, quæ ſervire cogebatur infir- *Gal. 4.*
mis , & egenis elementis , quæ graviſſimo jugo *Act. 15.*
premebatur , quod Patres noſtri portare non

po-

255

Aug. Ser. de Verb. Dom. potuerunt. Sed Dei miſericordia illâ nos ſarcinâ levavit innumerabilium præceptorum, noſque levi jugo ſubdidit, & ſarcinæ levi: unde Sacramentis numero pauciſſimis, obſervatione *Id. ep. 118* facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis ſocietatem novi Populi colligavit. Quid ſuavius, & indulgentius ista Dei erga nos benignitate, aut quid hac lege, quæ hodie promulgata eſt, humanius, *1. Jo: 5.* ut ita dicam, & amabilius? Quàm verè, quàm jucundè pſallendum eſt: Mandata ejus gravia non ſunt. Quomodo enim eſt grave, cum ſit *Aug. de Nat. & Gra. cap. 69.* dilectionis mandatum? Aut enim quiſpiam non diligit, & ideò grave eſt, aut diligit, & grave eſſe non poteſt. Hùc illud ſpectat, ſi ambulaſſent ſemitas bonas, inveniſſent ſemitas juſtitiæ *Pſal. 16.* leves: Quomodo ergo dicitur: Propter verba labiorum tuorum, ego cuſtodivi vias duras? Nimirum utrunque verum eſt: Duræ ſunt timori, leves amori. Ut igitur duræ nobis neſint, diligamus Deum ex toto corde, ex tota anima noſtra: atque ita fiet, quod initio propoſui, ut abrogata lege ſervitutis, ea libertate quam hic dies attulit, perfruamur.

Digitized by Google